

LXIII, ubi ostendit quod nulla creatura potest habere bonitatem ex sola substantia sine accidentibus. Et primo contra gent. cap. XXIII, docet nullam substantiam esse incapacem accidentium, nisi divinam.

IX. Quod vero specialiter in omni substantia debeat distingui operatio ejus, et virtus activa, seu operativa D. Thomas docet in hac prima parte, q. LIV, art. III et q. LXXVII, art. I, cujus rationes minus efficaces visæ sunt p. Suarez, disp. XVIII met. sect. III, num. XVI. Eas tamen defendimus in physica, q. XII, art. II, et in libris de anima, q. II, art. II. Et iterum infra quæstione LIV, agendo de intellectu, et operatione Angeli explicabimus rationes D. Thomæ quibus probavit intellectum, et intellectionem distingui a substantia Angeli. Et idem est de quacumque operatione creaturæ, quia semper operatio limitata, et creata exit ab operante, ipsumque supponit existere, et sic debet ab eo distingui, et operans ipsum debet esse mutabile de non operatione in operationem, et de una operatione in aliam. Sed de hoc amplius dicetur citato loco. Ex hoc autem sequitur, id quod dicit S. Thomas in præsentis articulo secundo, quod quælibet creatura mutabilis est penes assecutionem sui finis, sic enim per operationem aliquem obtineri debet, et consequenter per aliquam mutationem, sicut

in creaturis rationalibus obtinetur finis per electionem liberam, quæ vertibilis est de bono in malum, unde et omnis creatura rationalis est capax peccati, de quo dicemus infra quæstione LXII.

X. Denique, est mutabilis creatura secundum locum, quia nulla res etiam spiritualis est immobilis, de quo infra quæstione LIII agetur. Potest etiam recipere aliqua accidentia, ex divina participatione, quia omnis creatura habet potentiam obedientialem respectu Dei, ut immutetur ab ipso sicut ei placuerit, vel quoad novam perfectionem, vel quoad novam operationem, non posset autem potentia ista obedientialis intelligi si non esset capax accidentium substantia illa, quæ habet talem potentiam obedientialem, si quidem per illam capax esse debet immutationum de novo advenientium tali substantiæ, quæcumque accidentaliter se debent habere ad ipsam, nam si substantiam mutarent, solverent speciem. Unde nulla est creatura, quæ non possit meliorari a Deo secundum accidentales perfectiones, ut tradit D. Thomas, I p. quæst. XXV, articulo ultimo et videri potest in I ad Annibaldum, distinct. XLIV, quæst. II. Et sic patet quod omnis creatura est mutabilis aliqua mutatione accidentali.

## QUÆSTIO X.

# DE DEI ÆTERNITATE.

### EXPLICATIO LITTERÆ D. THOMÆ.

Ex immutabilitate Dei, de quo agit D. Thomas quæstione præcedenti sequitur æternitas, quæ importat durationem immutabilem. De æternitate autem duo considerat D. Thomas in præsentis. Primo, considerat æternitatem secundum se. Deinde, comparative ad durationes creatas. De illa secundum se considerat in tribus primis articulis. De ipsa vero comparative in ordine ad durationes creatas in aliis tribus articulis.

Primo ergo explicat D. Thomas definitionem æternitatis in primo articulo. Deinde, in secundo ostendit convenire Deo, et in tertio, ita esse proprium Dei esse æternum, quod alteri non potest convenire loquendo proprie de æternitate. Definitionem æternitatis explicat ex duobus, quæ ad illam concurrunt, scilicet interminabilitas durationis, quia fine, et principio caret, et immutabilitas, ratione cujus caret successione, et sic definitur æternitas, quod est interminabilis vitæ tota simul, et perfecta possessio. Quam definitionem infra latius explicabimus.

Ex eodem principio colligit Deum esse æternum, quia est immutabilis, ita quod sicut ratio temporis consequitur motum, seu mutabilitatem, ita æternitas immutabilitatem. Et similiter colligit articulo tertio, proprium esse Dei esse æternum, quia proprium ejus est esse immutabilem, licet secundum quod aliqua participant aliquo modo immutabilitatem, etiam suo modo participant æternitatem. De quibus omnibus agemus in disputatione sequenti.

Circa secundam considerationem æternitatis, primo comparat D. Thomas æternitatem cum tempore; deinde cum ævo, quod est mensura durationis creatæ permanentis, seu non successivæ; et tandem considerat ipsum ævum in se ipso an sit unum, vel plura. Differentiam ergo æternitatis a tempore ostendit D. Thomas articulo quarto accipiendam esse primo, et per se ex eo quod tempus consequitur ad motum, et successione, æternitas vero omni caret successione, et est tota simul.

Differentia autem æternitatis ab ævo consideratur a D. Thoma articulo quinto, quia ævum mensurat illa, quæ in suo esse non habent transmutationem, bene tamen in operationibus, vel accidentibus, sicut e contra tempus mensurat ea, quæ sunt mutabilia secundum esse, et non solum secundum operationem. Æternitas vero mensurat id quod neque in esse, neque in operatione, vel in aliquo alio compatitur mutationem. Denique, in articulo sexto, ostendit dari unum tantum ævum, sicut datur unum tantum tempus, sicut enim motus simplicissimus, et regularissimus fundat unam rationem temporis mensurantem reliquos motus, et durationes eorum, ita prima substantia æviterna habet unum ævum simplicius, et perfectius, quod mensurat alia.

## DISPUTATIO IX.

DE ÆTERNITATE DEI SECUNDUM SE.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum æternitas includat rationem durationis, et mensuræ respectu Dei?*

I. Sicut notavimus in expositione litteræ D. Thomæ circa articulum primum, duo includit æternitas; alterum pertinens quasi ad extensionem illius, scilicet quod careat omni termino durationis, quod est habere infinitatem in ipsa duratione. Alterum quod pertinet ad modum ipsius durationis, scilicet quod caret omni successione, et mutabilitate. Et ideo dicitur interminabilis vitæ tota simul, et perfecta possessio. Nam ly vitæ interminabilis, explicat durationem carentem omni termino principii, et finis. Et dicitur vitæ potius, quam durationis ad explicandum nomine vitæ tam divinum esse, quam operationem, utrumque enim ejusdem durationis est, et æque repugnat successioni, et mutabilitati. Dicitur autem tota simul, et perfecta possessio, ad excludendum omnem rationem successioni, et mutabilitatis in mensurando, nam successio, et motus non perfecte possidet, neque simul, sed transit, et consequenter aliquid adest, et sic non potest totum possidere. Possessio ergo in mensura successioni opponitur, seu mutationi non solum materialiter in ipsa entitate rei, quæ est mensura, sed etiam formaliter in ratione mensuræ, ita ut non mensuret per successionem, et replicationem supra id quod mensuratur, sed unico, et immutabili modo id fiat non transeundo, sed possidendo.

II. Ex his ergo oritur diversa ac-

ceptio æternitatis, aliquando enim in Scriptura dicitur aliquid æternum attendendo solum ad longitudinem, et extensionem durationis, aliquando attendendo ad rationem uniformitatis, et immutabilitatis ejus. Primo modo dicuntur æterna aliqua vel propter longissimam durationem, sicut montes dicuntur æterni Psalm. LXXV: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: et Genes. XLIX: Donec veniret desiderium collium æternorum*, vel propter durationem sine fine simpliciter, sicut pœna inferni dicitur æterna Isai. xxxiii: *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis: et Matthæi xxv: Ibunt hi in supplicium æternum*. Secundo modo explicatur æternitas Dei per summam immutabilitatem, ut Psalm. ci: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*, aut etiam per modum possessionis, et habitationis, ut Isai. LVII: *Hæc dicit Excelsus, et sublimis habitans æternitatem: ubi designatur æternitas per modum quietis, et possessionis, ut intelligatur ab omni motu, et successione segregata.*

III. Loquendo ergo de æternitate in hac secunda acceptione prout nascitur ex omnimoda immutabilitate, ad explicandum ejus intrinsecam quidditatem, duo apud theologos, controversa sunt. Primum, an æternitas entitative, et realiter sit duratio divina, an aliquid præter durationem. Secundum, quomodo ratio mensuræ includatur in æternitate, eo quod ratio mensuræ consistit in relatione, æternitas autem non potest dicere relationem realem, cum non distinguatur a natura divina, vel duratione. Si autem est relatio rationis non potest pertinere ad constitutionem æternitatis, quæ aliquid reale est. Et sic habebit rationem mensuræ.

IV. Circa primum, aliqui existimaverunt omnem durationem necessario

includere aliquam successionem, quia includit continuitatem, per quam perseverat duratio, quod sensit Aureolus in 1, dist. XIX, q. II, art. II, in argumentis quæ quarto loco adducit. Unde colligit æternitatem non esse durationem, sed ipsam divinam naturam, quatenus habet vim coexistendi infinito tempori: imaginabilis, sicut immensitas est quædam vis, qua potest attingere omne spatium imaginabile. At vero magister Bagez super hanc quæstionem X, articulo III, notabili ultimo ex alio longe diverso fundamento existimavit æternitatem formaliter non esse durationem, quia formaliter importat uniformitatem mensuræ, duratio autem Dei est res mensurata per illam. Unde articulo I, dub. II, explicat rationem æternitatis, quod sit uniformitas immutabilis naturæ, quæ licet realiter sit mensura durationis divinæ, tamen complete id habet ab intellectu, sicut dicit D. Thomas in præsentis articulo primo, quod apprehensio uniformitatis est ratio æternitatis, inter Deum enim mensuratum, et æternitatem mensurantem non est relatio realis, sed solum ratio nis.

V. Circa secundum punctum tres præcipue sententiæ inveniuntur. Prima existimat æternitatem, neque essentialiter, neque complete importare aliquid rationis, sed esse uniformitatem naturæ immutabilis, prout habet rationem mensuræ. Ita Cajetanus in præsentis. Nec tamen dixit importare æternitatem rationem mensuræ realis in ordine ad Deum, sed dixit, quod æternitas consistit in ratione uniformitatis, ut uniformitas rationem mensuræ habet. Verum quidem est, quod ipse Cajetanus interpretando dictum D. Thomæ, quod ratio æternitatis consistit in apprehensione uniformitatis, dicit non esse intelligendum, quod

consistit in apprehendi, seu cognosci, ita quod æternitas sit complete ab anima, sicut tempus. Ipse tamen statim se explicat eo quod, inquit, unitas uniformitatis actu est absque actu animæ, et sic ipsam uniformitatem dixit non dependere ab actu rationis, sed esse aliquid reale, ipsam vero rationem, seu relationem mensuræ non dixit esse realem.

VI. Secunda sententia simpliciter fatetur æternitatem addere aliquid rationis supra realem rationem durationis per modum cujusdam respectus rationis. Et aliqui existimant hanc relationem rationis solum in obliquo, et per modum complementi pertinere ad æternitatem, quia hoc modo pertinet ad ipsam relationem mensuræ. Alii vero existimant etiam in recto talem respectum rationis includere, eo quod de essentia æternitatis est esse mensuram.

VII. Tertia denique sententia existimat æternitatem addere supra realitatem durationis non respectum rationis, sed negationem. Dividuntur autem, quia aliqui existimant, quod æternitas addit supra durationem negationem successioni, et desitionis, et dependentiæ ab alio, quod explicatur illis particulis interminabilis, tota simul, et perfecta. Et ideo talis duratio potest coexistere omnibus aliis durationibus creatis, non quia positive ad illas se extendat, sicut se extendit intellectus, et voluntas. Ita Scotus quodlibet. VI, §. Restat nunc. Secundo, pater Suarez in met. disputatione, L, section. IV, numer. XII et XIII, dicit, quod in ratione formali æternitatis non includitur aliquid rationis, quatenus pendet ex apprehensione nostri intellectus. Addit autem, quod in re æternitas negationem includit, sicut etiam simplicitas, et infinitas, non quidem negationem tantum desitionis, aut successioni, hoc enim etiam durationi Angelorum conve-

nire potest, sed negationem dependentiæ ab alio, qua illa duratio redditur necessaria. Quod dicit docuisse D. Thomam in I, distinct. XIX, q. II, art. I.

VIII. Ultimo, pater Vazquez hic disputatione XXXI, c. V, inquit aeternitatem constare essentialiter ex aliquo reali nempe duratione, et ex aliquo rationis non quidem relativo sed negativo, scilicet negatione mensuræ respectu ipsius Dei. Ratio autem mensuræ, quam habet aeternitas, non est per modum quantitatis, sed per modum perfectionis respectu durationum creaturarum. Et hoc ideo, quia Deus non potest in se ipso mensurari per durationem suam cum potius ratione suæ durationis sit mensurabilis, non mensurans, neque respectu nostri potest a nobis mensurari per aeternitatem, quia de ratione mensuræ est, quod sit notior mensurato, et notificet illud. Nos autem non possumus per aeternitatem tamquam per mensuram notificare mensurabilitatem Dei. Et eandem sententiam de negatione mensuræ sequitur pater Molina hic art. I, disput. III, conclusion. III. Existimattamen non excludere aeternitatem in sua ratione formali ali-quod ens rationis, quo constituatur, vel compleatur, licet non possit a nobis intelligi, nec explicari nisi per aliquam negationem successio-nis, vel relationem mensuræ.

IX. Nihilominus dico primo: Aeternitas realiter, et positive importat durationem, et non solam uniformitatem a duratione abstractam. Probatum primo, auctoritate, nam quia in Scriptura aeternitas ad modum annorum, et dierum explicatur, quod sine conceptus durationis stare non potest, ut Job x: *Numquid sicut dies hominis, dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora?* Et Psalm. CI: *In generationem et generationem anni tui:* et Michææ v: *Egres-*

*sus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.* Unde S. Dionysius, capite x de divinis nominibus dicit: « Quod Deus laudatur tamquam antiquus dierum propter hoc, quod omnium ipse est, et ævum, et tempus, et ante dies, et ante ævum, et tempus. » Quod exponens D. Thomas super illum locum Dionysii lectione secunda inquit: « Quod Deus dicitur antiquus dierum, quia ipse præhabet omnium durationem, et ævi, et temporis. » Hoc autem constat, quod continet ratione aeternitatis: ergo aeternitas est duratio. Et Augustinus XI confession. capite XIV explicat aeternitatem per durationem, cum dicit: « Præsens si esset præsens, neque in præteritum transiret, jam non esset tempus, sed aeternitas, » esse autem præsens durationem significat. Denique, Divus Thomas in præsentis articulo II, ex eo explicat, quod Deus est sua aeternitas, quia nulla alia res est sua duratio. Et in primo, distinctione XIX, quæst. II, articulo II sciendum inquit: « Quod tria prædicta nomina, scilicet aeternitas, tempus, et ævum significant durationem quædam. »

X. Ratio autem conclusionis est, quia id præstat aeternitas Deo, quod tempus rebus temporalibus, communis enim omnium conceptus est aeternitatem contraponi tempori, et nomine aeternitatis designari id, quod in nobis designatur per tempus, sed tempus intrinsece, et essentialiter est duratio, ergo et aeternitas. Minor probatur, quia per tempus mensuramus durationes rerum temporalium: dicimus enim quod aliquid durat una hora, vel uno mense; ergo id quo mensurantur tales durationes, debet esse etiam duratio. Nihil enim mensuratur mensura propria, et adæquata nisi per aliquid, quod est sui generis. Unde distinguuntur diversæ mensuræ secundum diversa genera, et per-

fectissimum, seu magis indivisibile in uno genere est mensura cæterorum eo quod quanto est magis indivisibile est magis certum, si quidem minus illi additur, vel aufertur, et sic quod est si mplicius in aliquo genere deservit pro mensurato.

XI. Nec dici potest, quod duratio solum pertinet ad tempus, vel aeternitatem materialiter, non vero formaliter, et essentialiter, sed ipsa uniformitas, et regularitas in motu constituit mensuram temporis, licet materiale ejus sit duratio ipsa motus. Sed contra est, quia ut dicit D. Thomas in primo, distinctione XIX, quæstione II, articulo I, cum unicuique rei respondeat propria mensura oportet, quod secundum conditionem actus mensurati accipiatur essentialis differentia ipsius mensuræ. Ergo ex conditione ipsius rei mensurata sumitur non solum materialis ratio, sed essentialis differentia mensuræ, ergo cum res mensurata sit res ipsa ut durationi subjecta, oportet, quod essentialis ratio talis mensuræ ad durationem pertineat. Et hujus ratio est, quia tota uniformitas, seu regularitas sumpta in abstracto est communis ad omnem mensuram, sive in quantitate motus, et durationis, sive in quantitate ponderis, sive numeri, etc. Ergo oportet, quod determinetur ratio talis mensuræ essentialiter, et intrinsece per hoc, quod sit uniformitas talis, vel talis quantitatis, vel generis, neque enim possumus per mensuram ponderum v. g. per libras mensurare id, quod durationis est v. g. dies, vel annos, vel e contra: ergo pertinet ad ipsam essentialem rationem mensuræ non solum habere uniformitatem talis, vel talis conditionis, seu generis ratione, cujus sit apta, et habilis mensura ad mensurandum talia mensurata. Cum ergo aeternitas ponatur in Deo ad designandum uniformitatem, et re-

gularitatem non in alio genere, quam in genere durationis. oportet quod in ejus essentiali conceptu includatur duratio, ut intelligatur, quod est apta, et habilis ad mensurandum durationem potius, quam virtualement quantitatem immensitatis, vel sapientiæ, vel omnipotentia, etc.

XII. Quod si instes ex Aureolo hoc non convincere, quod in Deo est duratio formaliter, sed virtualiter, sicut est quantitas virtualis, eo quod etiam duratio quamdam continuitatem, seu quantitatem designat. Sed contra est, quia duratio ex vi sui proprii, et præcisi conceptus non importat formaliter successionem, et quantitatem, quin potius formalis successio diminuit perfectionem durationis, dicitur enim aliquid durare quamdiu permanet in esse, quando autem amittit esse, amittit durationem: ergo quanto minus amittit de esse, tanto perfectius durat. In successione autem clauditur aliqua amissio essendi, quatenus non eodem modo aliquid perseverat, neque est in actu, sed transit de potentia ad actum, ergo successio non est de conceptu durationis, sed potius diminuit, et imperficit ipsam rationem durationis.

XIII. Dico secundo: Aeternitas non constituitur formaliter per negationem mensuræ, licet includat negationem limitatæ mensuræ. Hæc conclusio est contra Vazquez supra citatum. Et in ea aperitur æquivocatio, qua iste auctor laboravit, quia aliud est negare in Deo mensuram tam intrinsecam, quam extrinsecam, aliud negare mensuram limitatam, vel dependentiam a mensura extrinseca: hoc enim Deo non potest convenire, quia cum sit infinitus, et summe perfectus, nec potest mensurari, seu adæquari per mensuram aliquam limitatam, nec potest subjici mensuræ alicui ex-

trinsecæ, quia nihil extra Deum datur simplicius, vel uniformius illo.

XIV. Unde pro intelligentia hujus conclusionis oportet distinguere mensuram intrinsecam, et extrinsecam. Extrinseca est, quæ mensurat aliquid extra se, et ideo per applicationem, vel continentiam illius dicitur mensura, sicut duratio, et motus cœli mensurat motus inferiores tamquam extrinseca mensura illorum, et ulna mensurat pannum, et libra pondus. Unde talis mensura terminat relationem realem sui mensurati. Intrinseca mensura est illa, quæ inest rei mensuratæ, et ita non mensurat per applicationem, sed per informationem, unde habet perfectionem mensuræ, licet non relationem realem, et imperfectionem dependentiæ, qua mensuratum dependet a mensura, sicut tempus licet sit mensura extrinseca respectu nostri, intrinsece tamen mensurat ipsum motum cœli, neque enim habet aliud tempus superius, quo mensuretur, et in unoquoque genere perfectissimum est mensura sui, et cæterorum, sui quidem intrinseca, aliorum vero extrinseca.

XV. Secundo est advertendum, quod licet mensura de se ordinetur ad notificandam quantitatem formalem vel virtualement rei mensuratæ, non tamen est de ratione mensuræ, quod notificet nobis quantitatem rei mensuratæ, modo imperfecto, seu juxta modum, quo procedit nostra cognitio de imperfecto ad perfectum, sed requiritur, quod ex ipsa ratione mensurandi notificet nobis mensuratum modo perfecto, seu procedendo a perfectiori ad minus perfectum seu minus nobis notificatum. Unde ad hoc quod æternitas se habeat per modum mensuræ sufficit, quod explicet in suo conceptu uniformitatem, et regularitatem durationis divinæ, quod non explicant alia attributa, et sic dicitur notificare

per modum mensuræ quantitatis durationis divinæ non tamquam aliquid notius ex parte nostri per modum effectus ducentis nos ad cognitionem Dei, juxta modum imperfectum cognoscendi, sed tamquam aliquid explicans, et distinguens in suo conceptu formalitatem uniformitatis, et simplicitatis in illo genere durationis, hoc enim modo mensura notificat, scilicet, per modum perfectionis, et simplicioris, quia perfectissimum in unoquoque genere est mensura cæterorum, unde per modum perfectionis, et non via generationis, sive processus de imperfecto ad perfectum debet mensura notificare.

XVI. Ex his ergo probatur conclusio posita, quia non repugnat in Deo ratio mensuræ semotis imperfectionibus, sed æternitas habet conditiones mensuræ quantum ad id quod perfectionis est in mensura, ergo non est neganda illi, sed solum limitatio, et imperfectio mensuræ; major constat manifeste, quia mensura importat perfectionem, cum semper accipiatur pro mensura id quod perfectissimum est in unoquoque genere, nec requiritur, quod sit notificativum rei mensuratæ, ut fundans imperfectam cognitionem, sed per modum alicujus magis simplicis, et perfecti, quo res mensurata magis ad unitatem, et uniformitatem reducitur, ergo ex hac parte ratio mensuræ non repugnat Deo. Neque ex eo repugnat, quia supponit mensuratum esse imperfectum, utpote dependens, et reducibile ad uniformitatem mensuræ, quod consequenter videtur supponere mensuratum habere aliquid imperfectionis, et minus uniformitatis respectu mensuræ. Nam contra hoc est, quia talis imperfectio non est de ratione mensuræ, et mensurati, nisi quando mensura extrinseca est, et a mensurato distingui-

tur, sed hoc modo non attribuimus mensuram æternitati respectu divini esse durationis, sed se habet per modum mensuræ intrinsecæ, et non distinctæ a suo mensurato, sed potius constituit illud in ratione mensurati habentis in se uniformitatem mensuræ. Quo modo vero secundum conceptus nostros distinguatur conceptus mensuræ a conceptu mensurati, statim infra dicemus.

XVII. Minor vero probatur, quia æternitas importat uniformitatem durationis simplicissimæ, qualis est divina, et ita correspondet tempori in rebus mutabilibus, et temporalibus. Quare sicut tempus habet conditiones, et rationem mensuræ, ita etiam æternitas quæ multo magis importat uniformitatem, et regularitatem durationis, quam tempus, conditiones habebit mensuræ, remotis tamen imperfectionibus. Et confirmatur, quia licet in Deo non distinguatur actus intelligendi, et objectum primum, vere tamen in Deo invenitur ratio objecti, et ratio actus, et tamen objectum habet rationem mensuræ respectu actus, cum se habeat per modum specificativi ejus. Licet semotis imperfectionibus inveniatur in Deo, ergo similiter non repugnabit ratio mensuræ respectu æternitatis semotis tamen imperfectionibus; et ita potius habet perfectionem mensuræ, quam relationem ejus, vel denominationem, quæ supponit distinctionem mensuræ a mensurato, et perfectius esse, quam illud.

XVIII. Dico tertio: Æternitas realiter, et positive includit perfectionem mensuræ secundum uniformitatem durationis, neque ista perfectio mensuræ requirit formaliter quoad sui constitutionem, vel complementum aliquid rationis, licet illud supponat, aut consequatur. In hac conclusione sequimur Cajetanum, in præsentia contra Ferrariensem

in 1 contra gent. cap. xv, qui existimavit æternitatem compleri per operationem intellectus in ratione mensuræ sicut tempus. Est etiam contra Scotum et Suarez supra citatos, quorum sententia rejicitur, ut diminuta, quia solum per illas negationes dependentiæ, et successivis, etc. explicant rationem æternitatis. Ad explicandum autem hanc conclusionem advertit aliud esse, quid requiratur ad perfectionem mensuræ, aliud quid requiratur ad relationem ejus ad mensuratum, vel mensurati ad ipsam. Etenim ut mensuratum, et mensura relationem habeant realem, requiritur distinctio realis inter illa, et ulterius, quod mensura, et ad uniformitatem ejus sit reducibile. Quod totum abest a Deo, et ideo non diximus in eo esse realiter relationem mensuræ, sed perfectionem mensuræ. In ipsa autem perfectione mensuræ advertendum est, quod aliquæ mensuræ sunt, quæ in ipsa sunt constitutione, et perfectione requirunt aliquid rationis tamquam conditionem, et complementum, sicut verbi gratia tempus, quia mensurat secundum prius, et posterius, illudque prius, et posterius in re non est simul, cum sit successivum, oportet, quod ut possit adæquare mensuratum accipiatur illud prius, et posterius per modum unius, quod non potest esse nisi per rationem, quia in re non possunt plures partes temporis accipi per modum unius, et simul, quod tamen requiritur, ut mensuret aliquem determinatum, et designatum motum. Similiter ulna non potest mensurare aliquam magnam quantitatem nisi per numerationem, et replicationem, quæ successive fit, et non simul, et ita ad æquandum illud totum mensuratum requiritur aliqua adunatio, et numeratio facta per intellectum. Et eodem modo existimavit Ferrariensis compleri ratio